



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Ærumnæ D. N. Jesu Christi**

**Thomé <de Jesus>**

**Monachii, 1676**

Instrvctio

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45834](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45834)

Magister fuerat. Nam cum hi in Indiam navigaturi ei valedicerent, ipsis gratulatus gloriosam hanc missionem, ut animos ad sufferendos labores pro Christo, adjecit se quoque venturum in similia, licet in alia Regione. Nam post aliquot annos navigaturum se ad terras infidelium, unde in Patriam rediturus non sit, sed assecuturus tamen ipsos in caelo, post exhaustos pro Domino graves labores. Quod illi cognitâ ejus mortem testati sunt, nominatim Reverendissimus Dominus Frater Gregorius Quemado, Coadjutor Archiepiscopi Brigantini. Divinitus autem rescivit mortem ejus Beatrix Vaëz de Olivera, Monialis ejusdem Ordinis, quod suo Confessario retulit sex mensibus antè, quàm literæ de eodem felici obitu venissent ex Africa.

## INSTRUCTIO Quis fructus sit quærendus in consi- deratione Ærumnarum Domini IESV.

### C A P V T I.

- I. **M**agna pars eorum, qui profitentur se studiosos perfectionis Christianæ, decipitur indiscreta tractatione rerum spiritualium, dum aggrediuntur eas præposterè: & cum legunt pœnitentias, fervores, & raptus contemplativorum, nec non miracula Spiritus divinus quondam est operatus in illis animabus mortificatis, & perfectè unitis cum ipso, sectantur illa miranda, neglecto fundamento, quo illa nituntur, & viâ, quâ pervenitur ad illa. Est autem hujus erroris hoc tempore majus periculum, quàm olim. Nunc enim plurima de his rebus doctè scripta versantur in manibus, & à plurimis intelliguntur, sed non exercentur à plurimis: multum est in lingua, parùm in manu & usu.
- II. Hujus mali causa non minima est, quòd, cum Deus ubique sui sit similis, incipientibus primo fervore se suavem exhibeat; hi suavitate illâ merentes profectum, se jam plurimùm in virtute processisse sibi falsò persuadeant: ferè ut qui parùm peritus artis,

*Ex Arumnis Domini.*

tis, quando scitè admodum delineatam & primis coloribus inductam videt imaginem, admiratur & laudat eam, quasi omnibus lineis perfecta jam sit; cum nihil habeat, nisi præparationem quandam & initia, donec ei perfectio & ultima denique manus accedat. Sic isti decepti primis quasi lineis bonorum desideriorum, & gustuum spiritualium, quos Dei benignitate sentiunt, propter similitudinem quandam cum iis, quæ perfectus amor Dei solet efficere, arbitrantur se jam attigisse censum illustrium fervorum Dei, & quasi illa, quæ de sanctissimis quibusque hominibus legunt, vel audiunt, non alia forent, quàm ea, quæ ipsi experiuntur ac sentiunt, domum sine calce, tectum sine muro struentes, quavis tentatione prolapsi agnoscunt, se scædis modis deceptos.

Tria plerumque signa sunt hujus fallaciæ. Primum est Securitas quædam, quam falsò pacem nominant. Eâ sic obfirmantur, nullius ut consilium audiant, cum virorum præstantium longo usu rerum divinarum constans doctrina sit, eos, qui dedignantur consulere alios plura expertos, non Deo familiares & contemplativos, sed proprietarios esse; quia longè à vera via perfectionis aberrant, & sub specie zeli, facillè alios judicant & condemnant: cum veræ virtutis sit, non indignari aliis, neque pluris facere se ipsos, quàm alios. Ex hoc nascitur secundum signum, Voluntas propria, quâ sub specie veritatis pati non possunt, ut eis quisquam contradicat. Unde majorem partem sunt impatientes, & liberi oris: & quod pejus est, excusant hæc omnia specie virtutis: cum tamen ista radicem habeat in abnegatione propriæ voluntatis, mansuetudine, tolerantia, & silentio. Tertium est, quòd abrepti suavitate, quam sentiunt in suis exercitationibus pietatis, parùm prompti sint ad exercitia virtutum, reputantes ea pro impedimentis, cum revera sint veri fructus exercitiorum spiritualium, & nervi ac robur, quo sustentatur spiritus.

In quanto periculo versentur hi, paucis dici non potest. Medium præcipuum se præservandi ab hoc malo, & inde se liberandi est, nôsse, in quo sita sit substantia vitæ spiritualis, & eam ha-

III.

IV.

*Instructio de Fructu.*

berē pro Cynosura, & Regula exercitiorum suorum. Est autem ea, Mortificatio & Amor. Mortificatio, quæ non accendit amorem Dei, suspecta est: Amor, qui non mortificat, non meretur divinum hoc nomen. Hæc est umbra, quæ absolvit picturam & imaginem viri perfecti: hæc dulcedo subacida, quæ saporem Deo gratissimum facit, & unde anima mirificè crescit. Qui proficere cupit, semper in hoc exerceri debet, & in omnibus rebus hæc duo spectare & quærere: circa hæc duo sese examinet, in his constituat fundamentum & fastigium suum. Et quia in actionibus liberis concurrunt Deus & anima, contingit variis modis decipi in vita spirituali. Unde, qui securè vult incedere, semper majorem curam debet habere mortificationis, quàm donorum amoris Dei: qui, cum sit proprius Magister perfectionis, non omittet illa largiri, quomodo & quando conveniet. Solet autem non facere mirabilia sua, nisi in animabus mortificatione, tanquam propriâ dispositione ad illa dona, paratis: quidquid autem priùs dat suavitatis, favor & illecebra est ad mortificationem, ne terreantur ejus acredine. De qua nunc solum id dicemus, quod ad fructum, ex *Ærumnarum Domini* consideratione capiendum, pertinere videbitur.

- V. Quando sermo est de Mortificatione, intelligendum est, verum & substantiam ejus consistere in omnimoda resignatione & renuntiatione suæ personæ, & omnium rerum internarum & externarum, etiam caelestium, in arbitrium Dei, semper & in perpetuum, sine omni resistantia voluntaria. Quod quidem auditu suave est, sed continuam luctam requirit; quòd ei repugnet natura: estque hæc illa contradictio, quem S. Paulus ait à carne fieri spiritui, dum illa dominium & libertatem affectat, spiritu conante illam subicere sibi ac beneplacito Dei. Et huc tendunt omnia exercitia spiritualia, ut homo fiat instrumentum divinæ voluntatis in omnibus rebus absque resistantia. Nam quemcunque Deus invenit sic præparatum, ei largissimè bona sua impertit: & quo magis mens est libera, resignata, & Deo subjecta, eò major, purior & sublimior in ea fit Amor DEI: & vicissim quò  
majos

*Ex Ærumnis Domini.*

major est amor, eò purior, fortior, & perfectior sit resignatio: ut hæc illius, & ille vicissim parens hujus possit videri. Hic est fons à Deo positus in Paradiso terrestri, qui divisus in diversa flumina, rigat & fœcundat omnem terram, in qua plantatæ sunt arbores virtutum: nam hæ succum ex ista aqua divina trahentes, copiosos afferunt fructus vitæ. Cùm ergo hoc fundamentum, & perfecta dispositio sit ad fructus & dona S. Spiritûs, omnes tentationes huc tendunt, ut hanc voluntariam & plenam resignationem in voluntatem Dei impediant. Ob eandem causam Deus, qui novit, quâ maximè ratione malis nostris succurrendum sit, ordinavit, ut via ad cælum perpetua Crux, Labor, & Ærumna sit. Nam hinc tribulatio adimit hominì omnem gustum rerum delectabilium, ne ita infrunitè feratur in illas: inde verò sua hominem infirmitas adigit ad suppetias poscendas à Deo: atque ita Crux eum & refrenat à delectationibus terrenis, & extimulat ad quærendas cælestes.

In hac Via crucis Deus constituit veram sapientiam Spiritûs, ut, quisquis extra eam incedit, erret ac decipiatur imprudens. Hoc voluit esse signum amicitiaë suæ: nam & in ea magis exercet majores suos amicos, & hi majores labores desiderant ejus amore. Neque ab hac lege ullum excepit, quantumvis puri & nitidi cordis, qualis fuit Virgo Domina nostra, cui majorem partem suæ crucis communicavit. Et quicumque videntur ardentiores in amore divino, ac majori fervore & suavitate charitatis donati, non est facilè cogitare, quas patiantur ærumnas, ex eadem charitate tantò uberius effluentes, quantò illa est major. Eidem legi se Christus ipse submitit, nec alia re suum erga nos amorem contestari voluit, quàm incedendo per eandem semitam, quâ nobis eundum est. Nam simul primùm factus est homo, nullum neque tempus, neque locum habuit, quo nos haud amaret, ac proinde etiam, quo non pateretur; ut ne in ipso quidem utero Matris, non in infantia, nec in juventute, totaque vita, usque ad mortem, fuerit sine cruce,

VI.

Cùm

VII. Cùm igitur hæc via tam necessaria sit ad obtinendam veram sapientiam Spiritûs, & purum amorem Dei Domini nostri, & ex altera parte natura tantopere & continuò ab illa abhorreat; non est res, quâ magis juvetur anima ad onus crucis ferendum, & submittendum se Deo, sine repugnantia in omnibus, quæ ipse voluerit & ordinaverit, quàm jugis memoria & consideratio Ærumnarum Domini JESU, propter multos fructus, quos affert. Nam priùs intelligit per eam homo, quantum Deo debeat, & quantum sit meritis à nobis amari, quàmque securè ei possimus confidere: qui enim tam fidelis fuit, ut pro nostra salute nulla in re parceret sibi, quomodo non peculiari curâ nos ducet ad omne bonum, si nos ipsi totos integrè committamus, & resignemus? Ex hac Resignatione protinus oritur singularis quies ac tranquillitas in omni re, quæ nobis acciderit. Quia præsentia ærumnarum, & amoris Domini Jesu facit, ut omnia accipiamus à fideli manu ipsius. Unde porrò nascitur tum securissima confidentia in ipso, quoad omnia præterita, præsentia, & futura; cùm diffidentia de se ipso, dum videt homo sua mala tanta fuisse, ut aliter quàm tantis Christi Domini nostri Ærumnis curari non possent: unde abhorret à se ipso, quòd ea commiserit: & agnoscit suam inopiam, & imbecillitatem, quâ in peccata prolabi potuit, non tamen resurgere sine Christi Ærumnis. Ex his radicibus oritur mox Amor Dei, minimè otiosus & iners: affert enim secum desiderium conformandi se Christo, & pudorem, quòd non semper eum sit imitatus: ideò studet compensare, quod neglexit, & ex amore currit alacriter in domum Domini Jesu Patientis & Crucifixi.

VIII. Ex hoc Amore & desiderio imitandi Christum provenit alterum fundamentum vitæ spiritualis, quod est suave exercitium virtutum. Sic enim præparatur animus illo amore ac desiderio, ut, licet non semper adsit occasio virtutis cujuslibet, omnium tamen gustu quodam afficiatur, & ad omnem earum occasionem sit promptus ac fidelis. Et hoc volunt, qui dicunt, in Oratione exerceri omnes virtutes; quia in ea exercetur amor Dei,

Ex *Ærumnis Domini.*

Dei, qui efficit in anima idem, quod creber usus illarum; hoc est, suavis quædam facilitas, ac delectabilis inclinatio ad earum exercitium, quem Doctores habitum nominant. Ita dixit Apostolus: *Charitas patiens est, benigna est, omnia credit, omnia sperat &c.* Quia Amor Dei promptum facit ad omnem usum virtutum, sine labore ac molestia, ut satisfaciat sibi ipsi, & similis fiat Domino Jesu, quem amat.

Quanta bona consurgant ex his fundamentis Amoris, Resignationis, & Imitationis, quæ ponit consideratio ærumnarum Christi, verbis explicari non potest. Sufficit, eos, qui fideliter illis insistant, saturari hoc melle de petra Christi, & haurire affatim suavem liquorem scaturientem ex ærumnis & cruce, quæ oculis mundi durissima petra videntur, sed sunt unici & proprii gradus, quibus paulatim sublevamur ad summum culmen perfectionis. Quare in consideratione *Ærumnarum Domini* versari debemus eâ intentione, ut accendamus in nobis ignem amoris integrè, fideliter, & confidenter nos resignemus & excitemus jure desiderium imitandi Christum, semper habentes ob oculos, quòd, quemadmodum in cælo Deo similes erimus, quando videbimus eum, sicuti est in gloria; ita in terra similes ei fieri debeamus, quando consideramus eum, sicuti fuit in suis ærumnis. *Qui enim dicit, se in ipsa manere, debet, sicut ille ambulavit, & ipse ambulare.* Sic autem ipse ambulavit, ut se in miseriis nostris exhiberet nobis quàm simillimum, nequaquam contentus, eas libare tantùm primoribus labris. Postulat igitur noster in eum amor, ut hilariter usque ad mortem divinis obsequiis insistamus, quacunque nostrâ molestiâ: quandoquidem id est præcipuum, propter quod vita nobis concessa est. Etenim, si res spirituales tantùm aspiciamus, ut bona quædam, facillè quidem vacabimus eis ad horam; reliquas autem actiones prætermitemus sine fructu, & jacturam unius etiam horæ, quæ spiritualia peragenda erant, parvi pendemus. At si spectemus illa, tanquam res quasdam summi momenti, propter quas vivimus, easque tali modo suscipiamus, eas magno cum incremento perfectionis & salutis nostræ peragemus: quo caremus, quando

) ( )

illa

illa non cum tanta æstimatione tractamus. Paucis ista complexus  
est S. Cyprianus, cum dixit: *Si sufficis tu DEO, sufficiat tibi  
DEVS.* Utrique si Deus habuit te pro principali intento, &  
causa suarum ærumnarum & vitæ, ut saluum te faceret; quid  
magni erit, si tu ipsum habeas pro principali intento vitæ &  
actionum tuarum, ut semper eum quæras, ames, & imiteris?  
Meminerimus primum ejus actum, eo momento, quo ex volun-  
tate Patris Æterni assumpsit nostram naturam, fuisse amorosam  
ac voluntariam obedientiam & submissionem, quâ acceptavit  
omnia, quæ illi propter nos perpetianda offerebantur: prima  
ejus Verba, quæ à S. Luca referuntur, ista fuisse: *Nesciebatis, quia  
in his, quæ Patris mei sunt, oportet me esse?* & última ante mor-  
tem: *Pater! in manus tuas commendo Spiritum meum!* ut adeo  
vitam, quam diligendo, obediendo, patiendo coeperat ac tra-  
duxerat, etiam consummaret. Ut proinde veri amici ejus pro  
perdito æstimare debeant, quidquid temporis in vita sua non im-  
penderunt amoris & imitationi ejusdem.

## Quomodo fructus ex consideratione & lectione Ærumnarum Domini sit colligendus.

### CAPUT II.

- I. **T**Ametsi Christus Dominus noster sit, qui desiderantibus se  
conformare vitæ ipsius liberaliter suggerit motiva, sensus,  
lumina, & affectus interiores, quibus inflammat ac dilatat eo-  
rum corda, ad securè decurrendum per vias Domini, illuminan-  
do intellectum in cognitione veritatum Cælestium, & voluntatem  
inflammando in amorem eorum, quæ cognoverint, & interdum  
plus illos docendo uno momento, quàm longo tempore possit  
magister externus multis documentis aut libris: nihilominus or-  
dinariè incipientes, & cum sol iste suos radios continet intra nu-  
bes, etiam proveciores indigent humanâ institutione, & lectio-  
ne,



*Ex Sermonis Domini.*

ne, quam orationi præmittant, ut per illam fecunda reddatur, ac detineatur memoria bonis cogitationibus, imbuatur mens, moveatur voluntas, excitetur spiritus, mollescat siccitas ac durities animæ, & instruatur, ut nôrit in oratione procedere. Fit enim ut, nisi hoc nôrint, lectione, quâ tenerescebant, finitâ, recidant in pristinam siccitatem, & ab oratione recedant aridi, quales accesserant; quòd ignoraverint, quomodo oporteat animum elevare in Deum; ac propterea ab oratione abhorreant, & ab ejus exercitio tandem omnino desistant.

Ergo non utilis tantùm, sed etiam necessarius Tironibus est Magister, qui meditandi materiam eis præmandat, & aptè proponat, ut eâ viâ incedant, quâ Deus ostendit se unumquemque illorum ducere velle. Licet enim unus omnium sit finis, ut uniântur Deo per Amorem, conformentur per Imitationem, & in Dei manus consignentur, & aptentur per Resignationem seu Mortificationem; varii tamen, imò innumeri sunt modi ac viæ internæ, valdeque diversæ, quibus ad illum finem Divinæ sapientiæ placet eos perducere, sive per odium sui & peccatorum suorum, sive per suaves affectus Divinæ præsentis, sive per aspirationem ac desiderium ejus, sive aliis modis. Quod est inter opera Dei maximè mirum & obstupescendum: quia mirabiles in eo divitias ac thesauros sapientiæ suæ ostendit. Qua in re qui bonum habet Magistrum ac directorem, brevi plurimùm proficit, si illi obediat. Quemadmodum apparet in Religionibus bene constitutis, ubi Tirones ab exercitatis magistris diriguntur, donec a pertis oculis in interiorem Dei familiaritatem deveniant, quâ sine alio Duce possint procedere: dum educati per exercitium Mortificationis, evadant viri valde spirituales, & undequaque perfecti. Ubi verò illa Mortificatio negligitur, inveniuntur quidem viri doctrinâ & aliis donis præstantes, at religiosi flaccidi valde. Unde Superiores, qui Novitiorum institutionem negligunt, & Magistri Novitiorum, qui exteriora præcipuè curant, hi sunt, qui regularem disciplinam relaxant: quia eorum ubera, quibus lactandi erunt Tirones, lacte carent; unde soboles religiosa non crescit, nec adolescit in robur veri spiritus.

II.

X X X z

Qui

III. Qui autem in Ordine Religioso non sunt, illi se in suis exercitationibus lectione librorum juvare possunt, vel directione periti Confessarii, aut alterius servi DEI, cui rationem dent rerum suarum, ac perseverent in usu Sacramentorum; quod est medium præcipuum obtinendi à DEO lumen internum. Si quibus autem placeat uti hoc libro, iis expediet nôsse, quis in illo servatus sit ordo. Primò igitur ponitur historia cujusque ærumnæ, cum aliqua doctrina idonea ad excitandum desiderium imitandi. Subjungitur Exercitium, quo uti licet, quamdiu non sentitur influentia divina. Hac enim præsentem, Domino auscultandum est in silentio. In quolibet Exercitio tria sunt puncta præcipua: Humiliatio ex cognitione sui ipsius, Oblatio sui cum resignatione in manus Dei, ac Desiderium imitandi Christum, ei que se conformandi: atque hæc omnia cum aspirationibus & affectuosis actibus amoris: quæ tria in omnibus actionibus & exercitiis nostris, ac totâ vitâ oportet spectare. Admiscantur etiam Adorationes, Petitiones, & gratiarum Actiones; ut omni modo, quo fieri potest, moveatur & accendatur voluntas ad amorem pulchritudinis ac bonitatis divinæ: quod unice quæritur. Ut verò liberior sit spiritus, & facilius excitetur affectus ad hoc, quod desiderat, non debuit alligari ad certum ordinem servandum in istis.

IV. Porro ad majorem fructum capiendum ex istis juvabunt monita sequentia, 1. Ante omnia procuranda cognitio inclinationum suarum, ut se contra eas obarmet, & per orationem virtutesque contrarias munit: præcipuè verò semper à DEO humilitatem & amorem Dei impetrare contendat: quia per hæc duo planè purgatur anima ab omnibus, quæ DEO non placent.

2. Curet bene nôsse & implere quid sit, quod à se Deus in suo statu requirat. Nam hoc debet esse fundamentum omnis exercitii nostri. Quia DEO non placent voluntaria dona, si non præstentur ea, quæ sunt debita. Vocantur autem debita, quæ leges aut mandata Dei requirunt, videlicet à Religioso, Pralato Magistratu, Judice, Marito, Patrefamilias, &c. De quibus autem dubium est, consulendi sunt viri docti, ac timentes Deum, qui

*Ex Arumnis Domini.*

qui non loquantur placentia, sed pertinentia ad obsequium Dei & bonum animarum, consilium eorum sequentium.

3. Cum Deo per Confessionem Generalem, & solutionem omnium, quæ debentur, satis fuerit factum, ordinet omnia studia, occupationes, cogitationes, & opera ad propositum vitæ spiritualis, tanquam ad rem principalem, quæ super omnia sit curanda, quantum erit in se: non aliter utendo rebus istius vitæ, quàm eo modo, ut id, ad quod ordinatur tota vita, non impediant. Est autem hoc inter mirabilia gratiæ, quòd in omni licito statu vitæ possint accommodari omnia ad finem prædictum: ubi per experientiam agnoscitur summa fidelitas Dei, quâ facit, ut ea, quæ quis ex officio facere debet, non impediant Spiritum, sed promoveant magis, & excitent desiderium præsentiae Dei, secretis & intimis modis influentis, ut nihil omnino damni capiatur ab iis, quæ fiunt ex obedientia.

4. In omni re quærat Honorem Dei, non contentus vitare peccatum, sed illud semper sectando, quod juxta conditionem sui status erit perfectius. Et sua desideria comparando cum desideriis, quæ Christus habuisset in ea re; quod ex ejus exemplis & doctrina cognoscitur: hoc enim est veri imitatoris, & remotius ab omni peccato.

5. Constituat ordinem actionum suarum, ut semper sit occupatus, ac sciat quid agendum sit. Sic enim pauciores defectus admittet, ac tutior erit ab incurso diaboli. Nihil autem incipiat, nisi præmissâ brevi elevatione mentis in Deum, pro impetrando lumine & gratiâ, ut, quod acturus est, in ejus honorem ac beneplacitum cedat.

6. Quidquid acciderit, accipiat de manu Dei, se sanctissimæ ipsius voluntati conformans, eum laudando, & gratias agendo, quidquid natura moveat in contrarium: rogétque ipsum, ne velit aspicere irrationalem sensum infirmæ suæ naturæ, sed bona proposita, quæ dignatus est sibi largiri. Et sic acquiescat, donec motus illi subsidant.

7. Peculiares Dei favores celet, quantum poterit, præterquam ei, quem vitæ suæ moderatorem elegerit. Cum hoc enim

conferenda sunt omnia, magna cum sinceritate ac puritate, ut dirigatur ab eo, & satanæ fraudes evitet.

8. Variæ solent esse tentationes, quæ vel ad peccata sollicitent, vel à perfectione impediunt. Contra omnes juvabit: Primò, suspecta habere omnia, ad quæ sentimus nos inclinari & affici, quantumvis bona appareant. Quidquid enim præter Deum quæritur, magna cum inclinatione & ægrè dimittitur, id inordinatè diligitur, & tentationum origo est, impeditque cognitionem & amorem Dei, ad quem tendimus. Deinde nulli cogitationi locum dare, quæ possit nos perturbare: sed primis statim initiis animosè resistere, implorato auxilio Dei. Quòd si molestior sit, recurrere ad Patrem spiritualement, & usum Sacramentorum, & invocando simul sanctos Patronos, & omnem occasionem tentationis amovendò. Nam in illa cadunt etiam fortes, quam fugientes infirmi roborantur & vincunt. Præcipuè verò contra spiritum pugnant Caro, & superbia; quarum tentationes quàm diu displicent, nihil nocent. Non ergo cogitemus nos derelictos à Deo, neque intermittamus ideo exercitia pia. Id enim esset fugere medicum & medicinam: sed abiciamus nos ad pedes Domini, certi, quòd adsit nobis, & fidelissimè omnia in bonum nostrum, summâ sapientiâ & amore, disponat. Atque ista, quæ hactenus de vita instituenda, deque puritate desideriorum, & repellendis tentationibus dicta sunt, multum juvant orationem, dum remonent omnem remorsum, qui adimat confidentiam accedendi ad Deum, & quietem necessariam ad orandum. Si tamen adesset conscientia recentis cujusciam delicti, ob quam erubescat comparere coram Deo; cum eadem verecundia sistat se oculis misericordibus Dei, profitendo humillimè se aliud remedium sui mali nescire, & non desistat ab orando. Id enim esset genus occultæ superbiæ, quasi nolit habere in se, cujus eum pudeat.

VI.

9. Non reputet se aliquid effecturum suis viribus, sed per opera sua præparari debere ad accipiendum, quidquid ei bonitas divinæ largiri dignabitur. Et cum in hoc perseveraverit, fidelem Deo se exhibendo, & renovando quotidie suum propositum, non arbitretur parùm se proficere, & confidat Deum facturum

*Ex Sermonibus Domini.*

eternum in anima sua, quidquid ad ejus gloriam & salutem suam expediet. Neque tamen statuat se Judicem sui profectus, & eorum, quæ in se patrantur à Deo: nam hinc sæpe, nobis non sentientibus, facit, quod desideramus; quia sic expedit. Vult enim nos fidere sibi, neque fatigari pulsando fores illius misericordiae, dum semper agnoscimus nostram imperfectionem & inopiam.

10. Qui se invenit aridum in Oratione, non desistat ab illa, sed absolvat prout potuerit: neque enim sine fructu abit, licet eum ipse non sentiat. Cum autem Deo dante cor teneat, non festinet ad alia puncta, sed insistat uni, quam diu duraverit ea scintilla. Potest enim contingere, ut eam sufflando, tanta fiat flamma divini amoris, ut per eam fiat illa mutatio in anima, quam desiderat. Quod si obtineatur in uno puncto, nihil opus est aliis.

11. Studeat interdum sæpe animum levare in Deum per oblationem sui, laudem divini Nominis, gratiarum actionem, implorationem caelestis auxilii; affectibus amoris ac dulcibus verbis illum stringendo, & quasi ligna identidem suggerendo foco amoris. Nam sæpe Deus tali occasione dat, quod in oratione dare distulerat, ut agnoscamus omnia nos ipsi debere, non laboribus nostris: per quod amor erga ipsum augetur, & minuitur nostra superbia.

12. Duo semper habeat in recenti memoria. Unum pro solatio in laboribus ac tentationibus; quod scilicet eas Deus non mittat, nisi magna cum moderatione, non plus imponendo nobis, quam sustinere possimus cum gratia à se donata. Licet enim, ut S. Isaac monet, nos semper sentiamus prius tentationem, quam gratiam adjuvantis nos Dei; re ipsa tamen semper adest prius gratia, quam tentatio: cum hæc nos permittatur, nisi ad mensuram illius. Unde non oportet non esse ignavos, sed fortiter decertare cum fiducia. Alterum est, ut meminerimus ubique Dei presentis, præsertim inter homines, & negotia apta ad mentem distrahendam: ubiq; retinendo reverentiam Domini, nos aspicientis & operantis nobiscum. Quo fiet ut habeat semper  
apertam

VII.

apertam portam ad introducendos nos in Cellam vinariam, ut dispulsa caligine ostendat nobis faciem suam, ac poterit nos vino odorifero sui amoris, ubi cessante strepitu verborum humanorum ipse loquatur nobis, & in pace dormiat ac requiescat nobiscum. O qui videret beatam hanc horam! Da illam Domine, quando fuerit pro tuo honore & obsequio.

## Quis modus tenendus sit in Exercitio.

### C A P U T III.

**C**um adest hora faciendi Exercitii, coram Throno sanctissimæ Trinitatis circumfuso lumine & gloria, sistat se magna cum reverentia ac desiderio serviendi ipsius Majestati, & confidat, quod se pauperem creaturam non repudiatura, sed dignatura sit suo divino conspectu & auxilio. Consideret verò Mysterium sibi propositum, non quasi præteritum, sed quasi recens ac præsens: uti revera est in mente divina, quæ flagrat eodem nihil immutato amore & gustu, quo gessit illa in vita mortali, adeo ut vellet eadem rursus omnia pati & agere, si necessarium esset. Ergo Christum velut actu patientem intueri & amplecti debemus, ut fructum ex ejus Passione quasi præsentem capiamus, quandoquidem non minus est efficax, quàm fuerit, cum primò facta est.

Ita ergo collectis omnibus sensibus internis & externis, post profundam reverentiam coram Domino, cum signo Crucis, & præmissâ cum magno fervore oratione Dominicâ, & Salutatione Angelicâ ad impetrandam gratiam, incipiat Exercitium, attentè legendo præpositam Ærumnam Christi. In qua lectione si moveri se sentiat, Deum auscultet, eique se accommodet, quoad motio illa cessaverit; ac postea pergat in lectione. Quâ finitâ verbis, tenerum sensum spirantibus (qualia solùm pro exemplo & ingressu quodam apponimus) alloquatur Dominum, prout amor dictaverit: cui dandus est locus: ipse enim est, quem Exercitio nostro quærimus: neque enim intellectus multùm est occupandus; qui

*Ex Arumnis Domini.*

qui, dum anima includitur corpore mortali, parùm videt, ac tantùm servire debet aperiendo januam voluntati & amori, ut facere possint suum officium. Quòd si Deus det gratiam, ut intermisso discursu & imaginatione, sentiat anima se in suavi pace & quiete, plenam admiratione rerum, quas viva & illuminata fide cernit in Deo; vel sensu doloris ob ea, quæ videt eum pati, aut quibus eum offendit, vel desiderio fruendi eo, quem diligit super omnia, vel ardore voluntatis, quâ Dominum stringat, eique adhæreat, vel alio motu, quo elevetur ad Dominum, & uniatur ipsi; maneat in hac pace, nullamque aliam cogitationem quantumvis piam admittat: non quia hæc noceat animo, sed quia per hanc pacem jam habet fructum cogitationum piarum. Esset autem species tentationis, seminare quando esset metendum: fuscipere pias cogitationes, quando earum est fructus colligendus. Quia in hac vita mens humana simul non potest attendere pluribus. Cùm ergo fructus piarum cogitationum adest, illo se pascat. Sicut ovicula saturata ruminat ac degustat, quæ comedit, non alias herbas, quantumvis bonas edendo: quia stomachus ejus non ferret. Erit olim tempus beatum, quo facultates animæ liberatas à corpore, simul inundabit mare amoris, & cogitationis divinæ, sine omni impedimento.

II.

Finità oratione, si bene successit, surgat cum suspirio, pace, & quiete, ut qui Deum portat secum, & quanta poterit collectione animi, accedat ad sua negotia, mente associatus ei, qui cum ipso est: curètque retinere illum fervorem, lucem, & pacem, quam accepit, Deo offerendo illa, per quæ necessariò distrahi debet. Si verò fuerit aridus & fatigatus, non fiat tristis, sed antequam digrediatur à loco orationis, benedicat Deum, qui justus est in omnibus judiciis suis: agnoscat suam indignitatem: offerat ei suum conatum & laborem, quem non suæ consolationis, sed Dei honorandi causâ suscepit; cujus sanctissimæ dispositioni se resignet in omnibus, modò ne tradatur in manus inimicorum animæ suæ. Postea consideret bene, per quid fuerit distractus, an aliquâ suâ culpâ, & negligentia inter orandum, vel ante: & mox tandem per dolorem & aliquam satisfactionem expiet; quo fiet,

III.

)( )( )( )

fiet, ut sic humiliatus non minorem referat fructum, quàm si magna cum consolatione orasset. Nam Deus, cui magis curæ est nosster profectus, quàm nobis, optimè novit, quid nobis maxime proficit. Quare ad orationem debemus cum plena resignatione accedere, ad serviendum ipsi, prout ei placuerit: æquè gratias agendo pro tractatione quacunquè, sive humiliare nos velit, sive solari.

- IV. Porro ut mentem collectam, & ad orandum paratiorem habeamus, multum juvat dare Deo manè primitias cogitationum; animum, simul evigilamus, elevando ad illum, ac certa tempora designare, quibus idem faciamus interdium; & vespere similiter ad ejus pedes indormire. Nam qui sinit animum suum vagari per omnia, raro poterit eum in oratione habere collectum. Quare diligenter etiam quotidie super his Examen instituendum est.

## De Quotidiano Examine,

### C A P I T U L U M IV.

- I. **Q**ui cupit proficere, debet habere certa quædam proposita, multum profutura animæ suæ, tam communia, quàm propria quædam pro certis temporibus, & actionibus: circa quæ se examinet: communia possunt esse sequentia.
1. Cavere, ne ulla in re, cogitatione vel desiderio, voluntariè se detineat, quâ displicere possit oculis Dei.
  2. Meminisse crebrò Dei præsentis, ut eum reverenter adoret, ac laudet.
  3. Nullum defectum internum aut externum prætermittere, quin statim de illo doleat, ac veniam petat.
  4. Nihil ulla in re decernere vel proponere, quod non priùs DEO commendarit, ut se ipsius voluntati conformet.
  5. Sensus & maxime linguam refrenare, ne ullam in rem sine ratione excurrant.
  6. Benefacere aliis quantum potuerit, ut semper potiùs deest facultas, quàm voluntas.

7. Non



*Ex Arumnis Domini.*

7. Non tolerare in animo suo ullum rancorem vel amaritudinem, quantumvis exiguam, contra quenquam, etiam brevissimo tempore.

8. De quocunque peccato sigillatim dolere, & recurrere ad sanctissimum Confessionis remedium, quam primum licebit.

9. Exercitia devotionis, & inspirationes Dei nullo modo negligere: & quoties à Deo se tangi & trahi senserit, ei se totum præbere.

10. Diligenter attendere ad ea, in quæ magis inclinari se sentit, seu bona, seu mala; ne forsan abripiatur ab eis in aliquid minus conveniens; semper frenum timoris Dei habendo in manu.

11. Non adherere suæ voluntati, sed alienæ potius, quoties id absque peccato fieri potest.

12. Nihil agere suæ existimationis & personæ, sed omnia solius divini honoris, & obsequii gratiâ; neque ulli se præferre, quantumvis imperfecto.

13. Gratias agere Deo pro omnibus, quæ in mundo eveniunt, & omnia de manu Dei accipere.

Præter ista sint specialia quædam, pertinentia I. Ad obligationes proprias. 2. Ad emendationem quotidianorum defectuum. 3. Ad cautelam occurrentium occasionum, quibus impediri, vel promoveri possit profectus animæ. 4. Ad ordinem occupationum ordinarium, & impendium temporis. 5. Ad agendum cum proximo ratione officii sui, vel aliarum occasionum, quarum quotidie multa occurrunt in hac vita. Id enim, quod semper ob oculos versari debet ei, qui Deo eupit placere, est animæ suæ profectus, & fuga peccati: quare instar negotiatoris perpetuo debet excogitare modos lucri spiritualis, ac proposita identidem, pro ratione temporis & occasionis renovare, mutare, augere, minuere. Quia, ut ille ait, quale est propositum, talis & profectus est noster. Non igitur in re tanti momenti negligenter agendum est, vel tepidè; sed omnia quotidie ad calculos revocanda.

Itaque præmissa Oratione Dominica, statuatur se homo coram Deo tanquam filium prodigum, reversum ad Patrem; vel ut

) ( X ( z

Publi-

*Instructio de Fructu.*

Publicanum, qui non est ausus levare in cælum oculos, vel ut mulierem ad pedes Christi deplorantem sua peccata; vel ut leprosum, qui à longè stans petit mundari à Christo; vel ut servum, qui prostratus ad pedes Domini, rogavit patientiam; vel denique, ut miserabilem creaturam, quæ obsita miseriis eget ope benignissimi Creatoris. Et post Confessionem generalem, recognoscat proposita sua, & ad singulos defectus cum pudore ac dolore petat veniam, ac dilaudatâ patientiâ tamdiu sustinentis se Dei, proposita reformet, ac peccata annotet ad Confessionem faciendam suo tempore. Tum concludat colloquio in similem ferè sensum, ut sequitur.

IV. En hîc Domine Deus miserabilem creaturam! En eum, quem tam benignè supportas, & pro quo tanta fecisti! Ecce inconsideratum, infirmum, degenerem; ecce dilapidatorem gratiæ tuæ, infidelem tuo servitio, qui tanta sæpe mala, ac tam pauca bona præstitit: quid me, Domine, fiet sine tua misericordia? sine te nihil possum, nec scio, nec valeo. Peccare scio, non me corrigere; cadere scio, non resurgere; perire scio, non redire; fugare te scio, non requirere; offendere te scio, non reconciliare, nisi lux & gratia tua me adjuvent. Tu scis omnia bona provenire à tua manu, voluntatem, desiderium, & executionem eorum, quæ inspiras. O benignissime Amator hominum, tu es verum refugium orphanorum, tu es remedium indigentium. Ecce hîc tuum pauperrimum & miserabilem peccatorem! subjicio me totum bonitati, & misericordiæ tuæ: aspice me oculis tuæ pietatis: obliviscere, Domine, meorum peccatorum: compatere meis miseriis, & irriga hoc miserum cor fonte benignitatis tuæ. O lux vera, ne me relinquant in tenebris meis. O fortitudo infinita, conforta meam infirmitatem. Accepta, Domine, hoc desiderium meum: adjuva voluntatem meam, obliviscere demeritorum meorum, & largire mihi, quod es in Cruce promeritus. Qualisqualis sum, tuus esse volo; supple tu bonitate tua meos defectus. Bonitas, quâ mihi tribuis bonam voluntatem, ac desiderium tibi serviendi, ipsa te moveat, ut facias in me, quod petis à me, ita ut omnia sint ad honorem & gloriam tuam, Amen,

Hoc

*Ex Ærumnis Domini.*

Hoc, vel simili colloquio ad DEUM finito, paucis imploret etiam opem S. Angeli Custodis, & Patronorum suorum: tum surgat cum cogitatione, quòd velit esse Deo fidelis, & advigilare suis propositis. Quando verò Deus animam ad eam puritatem perduxerit, ut jam ad intimam ejus unionem per purum amorem adspiret, tum ei tribuit clariorem cognitionem suorum defectuum, ut rigidiùs illos examinet, profundius discutiendo suas secretas inclinationes & affectus, non vitiosos tantum, sed etiam naturales: atque utinam omnes peccatores ita plangant sua gravissima peccata, sicuti hi suos minimos defectus, quos inveniunt in sua conscientia! qui cum in regione lucis versentur, aliud eis hinc non præscribo; sed incipientibus consulo, donec eò perveniant, ne sint faciles in dispensando, vel elevando suos defectus,

V.

Motiva ad Amorem Christi in suis  
Ærumnis.

C A P V T V.

NE sit opus eadem sæpius repetere, annotabo quædam pro memoria ex innumeris, quibus in consideratione Ærumnarum Domini tantisper utamur ad excitandum ejus amorem, & melius cognoscendam nostram obligationem illum sequendi, donec Deus cuilibet privatim alia suggerat.

Passus est voluntariè, ex mero & puro amore nostri, sine omni obligatione vel Justitiæ, vel meritorum nostrorum: nos enim debitores eramus & rei. Ipse autem etsi teneretur fidelitate promissi & obedientiâ mandati Paterni, tamen ultrò promisit, & ultrò se obtulit ad obediendum; cum Patre æterno nihilo esset inferior, utpote ejusdem Majestatis cum illo & Spiritu sancto. Fuit igitur obedientia non coacta, sed libera & amoris.

I.

Passus est ingenti cum desiderio & gustu. Nam etsi Passio ejus tempestati feri maris conferatur in S. Scriptura; maximâ tamen fame tenebatur illius; ad quam explendam necessaria fuit. *Thr. 3. 30.* Hinc de injuriis, quas pertulit, Jeremias prædixit: *Saturabitur opprobriis: cibo utique per se insipido, qui stomacho nauseam creat,*

II.

*Instructio de Fructu.*

eumque perturbat: sed qui Christo ita sapiebat, ut non nisi copiose ingesto compleret famem illius: quia magna fames modico satiari non potest. Hanc igitur fame ad mensuram sunt illi *Ærumnæ*. *Æquissimum* est autem, ut eadem sit mensura nostri erga ipsum amoris.

III. Idem desiderium, ac gustus ab amore creatus, molestissima quæque ipsi dulcia fecit: sic suave fuit subesse tot annis parentibus; degere inter homines moribus tam diversos ab ipso; tentari, imò & portari à satana spiritu maledicto, & alia, quæ describuntur hoc Libro, suapte naturam gravia; sed quæ amor omnia dulci sapore condidit.

IV. Perpetuum miraculum fecit in se ipso, ut pati posset. Cum enim clarè Deum videret, ac beatus esset, corpori suo negavit eas dotes, quas anima beata ipsi conferre debuerat, nisi per ingens, & jure miraculum impedita fuisset. Impedivit hoc amor, quo ut sæpe per miraculum liberavit alios à suis doloribus & miseriis; se ipsum doloribus & miseriis nostris miraculo summo subiecit; pluris ut nos, quàm se ipsum videatur aestimavisse.

V. Quidquid gratiæ suis *Ærumnis* à Deo Patre promeruit, nobis donavit; cum iis meritis ipse, tanquam beatus, non indigeret, nisi pro sui nominis exaltatione, quam miraculo supradicto suspenderat. Reliqua, remissionem peccatorum, satisfactionem pro iisdem, gratiam & gloriam, & quidquid eò spectat, promeruit non sibi, sed nobis: idque tam cumulatè, ut cum singula ejus opera, propter dignitatem suæ personæ, essent infiniti valoris, ad satisfaciendum suo erga nos amoris tam multa, tam magna & acerba sustinere voluerit: quo factum est, ut inestimabilis & inexhaustus thesaurus meritorum evaserit, quem eodem amore nobis hodie dispensat, quo illum congeffit.

VI. Amor ejus nec initium habet, nec finem, neque ulla ex parte mutatur. Non habet initium, quia in pectore divino flagravit ab æterno, licet in tempore præstito foras eruperit. Et quia æternus & infinitus est, mutari ac cessare non potest. Amat enim nos totam suam essentiã, & eodem profuso amore, quo tres divinæ Personæ se mutuò complectuntur: quia in Dei natura simplicissima non possunt esse plures amores, sed unus tantum.

*Ex ærumnis Domini.*

rùm est, quo amat se & suas creaturas, pro sua quamque capacitate & qualitate. Hinc etiam eodem amore adigente, non fecit minus pro mea salute, quàm fecisset pro se ipso, si in eadem nobiscum necessitate fuisset.

Neque divisus est hic amor, neque divisionis capax: sed eodem prorsus amore Deus me amat, quo alios omnes: nec minus est passus pro me uno, quàm pro aliis omnibus: nec minus habeo in ipso, quàm omnes alii. Ut cum sancto Bernardo dicere possim verè: Totus es meus, ô bone Jesu; totus occupatus in mea salute procuranda: Et cum Apostolo, Dominus meus, Deus meus, & Amor meus: quasi nulla alia anima esset, præter meam. Et licet unicuique largiatur pro sua dispositione, quia scilicet libero arbitrio nostro vim inferre non vult; tamen ex se paratus est unicuique soli dare, quantum dat aliis omnibus, & plus etiam: sicut apparet in ejus Beatissima Virgine Matre, quia ut sanctus Chrysostomus dicit Hom. 20. in Matth. Negligentia petentis est, si parum accipiat: quia de misericordia Dei dubium nullum est, qui cum parùm dat, in recipiente defectus est, non in dantis amore: & signum est, quòd creatura parùm amet, Creatore multùm amante. Unde cum patiebatur, sicut omnia, ita & me præsentem habebat in sapientia sua, & unumquemque nostrùm: & quæ patiebatur, sic offerebat æterno Patri pro singulis meis necessitatibus in particulari, ac si pateretur pro me solo.

Ut nobis quàm simillimus fieret, ac pati posset, quidquid VIII. erat absque peccato, non habuit rationem infinitæ Majestatis suæ personæ, sed abscondit eam, & omnia sua pro nobis impendit. Habitus est pro peccatore, tractatus ut vile mancipium: vitam ipsam, quâ nihil erat in mundo præstantius, pro me effudit: animam, cum aliud pati non posset, permisit per cruciatus extrudi è corpore sibi obsequentissimo, cui naturaliter cupiebat manere unita: Divinitatem, quia pati non poterat, voluit peculiariter concurrere suis actionibus & ærumnis. Denique corpus, animam, ac divinitatem dedit in alimoniam nostram: ac tanti me fecit, ut pro me dederit, quidquid habuit, passusque sit, quidquid potuit.

Multa

*Instructio de Fructu ex *Ærumnis Domini.**

**IX.** Multa, quæ pertulit, tam acerbata fuerunt, ut eum possent interimere, si purus homo fuisset: ut jejunium 40. dierum in deserto, ac tristitia in horto: quam sanctus Lucas Agoniam vocavit, accidens lethale. Sed quia non decuit, ut se ipsum perimeret, divinâ virtute sustentavit naturam humanam, ut longè plus pati posset, quàm ferret naturalis infirmitas. Id ipsum fecit in Passione, cum tormenta sufficerent ad vitam ipsi adimendam, nisi divinitatis virtute conservâset eam usque ad finem eorum, quæ proposuerat pati. Atque ita divinitatem suæ personæ abscondit, ne quid ejus respectu sibi parceretur à tortoribus; & eandem simul exseruit, ut pati posset, quantum suus amor volebat.

**X.** Denique ad melius agnoscendum divinum amorem, plurimum valet, quod sanctus Paulus maximè premit, indignitas nostra, qui tantoperè sumus amati. Nam ut quis pro justo mortem obire sustineat, forsitan capere potest mens humana: quia justus, per injustam condemnationem pro altero innocente, non perdit, sed auget justitiam suam & gloriam. Sed ut mortem optet quis pro injusto & improbo, à quo lacessitur, læditur, & pro collatis in eum beneficiis inhonoratur, id mens humana non capit: solus amor divinus id capit. Cum enim nos inimici essemus, Pater æternus dedit Unigenitum suum ad necem & hic se ad eam subeundam alacer & generosè obtulit, & Spiritus sanctus fuit ille ignis divinus, qui arsit in Patre & Filio, ut nos amaret, quasi essemus amici, & bene meriti de ipso. Deus enim non meritis nostris, sed sua dignitate moderatur amicitiam suam, & quantò nos eâ sumus indigniores, tantò Amor ejus est major, purior, & gloriosior. Vide sis igitur homo, quantum Deo pro his omnibus debeas.



ÆRVMNÆ